

Christoph Gottlieb Stüdemann


**Dissertatio Epistolica De zohar ha-ma'skilim le-olam va-ed Ex Daniel. XII. v. 3. : In
quâ Viro ... Domino Io. Christiano Bvrgmanno, Philos. ac S. S. Theol. Doctori ...
Cum Illi Anno MDCCXXX. d. 18. Ivlii Pvblice Docendi Metaphysicam Sparta In
Alma Varniaca Patria Adsignaretv**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1730]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1687569606>

Druck Freier  Zugang







Bibl.
Schol. Cathedr.
Jur. Tron.

1836.

Mk-7775^a
~~Mk-7774~~





Fasciculus
Actorum Jubilæi,
ab
Exhibita in Comitibus Imperij
Augustana Confessione,
in
Academia Rostochiensi
celebrati,
Secundi.
a^o 1730.



DISSERTATIO EPISTOLICA

DE

זהר המשכילים לאולם ועד

Ex Daniel. XII. v. 3.

In quâ

VIRO SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

IO. CHRISTIANO
BVRGMANNO,

PHILOS. ac S. S. THEOL. DOCTORI, ET AD AED. SPIRITVS S.
PASTORI VIGILANTISSIMO,
PATRONO, PRAECEPTORI, STVDIORVMQVE SVORVM
PROMOTORI AD VRNAM VSQVE DEVENERANDO,
COLENDO,

CVM ILLI

ANNO MDCCXXX. d. 18. IVLII PVBLICE DOCENDI

METAPHYSICAM

SPARTA

IN ALMA VARNIACA PATRIA

ADSIGNARETVR,

debitam gratulationem offerre & grati sui animi

μνημοσυνον relinquere voluit

TANTI NOMINIS

DEVOTISSIMVS CVLTOR

CHRISTOPH. GOTTLIEB. STÜDEMANN,

Rostochienfis

R O S T O C H I I,

Typis IO. IACOB. ADLERI, SERENISSIMI PRINCIPIS & ACAD. Typographi.

54.

VIR SVMME REVERENDE.



Ptatissima fama grauissimae
spartae nuper TIBI mandatae in-
signi laetitia me cumulauit. Jamjam
quidem per aliquot temporis spatium
Rostochium TIBI Venerando solatiū
divini interpreti haud sine admiratio-
ne deuotas, beneuolas, attentas aures
praebuit; Nec non florentissimam A-
cademiam patriam, Collegia priuatissima & philosophica &
theologica, quorū auditorem & me fuisse non sine grata
mente memoria repeto, aperiens, tantis beneficiis cumulasti,
vt TIBI promerito gratias agere nunquam possit. Nunc
vero cum ab Amplissimo ordine senatorio Metaphysi-
ces Professio ordinaria TIBI adsignata est, ad docendi pu-
blice munus bonis auibus accedis, & egregias, quibus prae-
stas, doctrinae dotes publicis vsibus impertiri haud denegas.
Haec mihi ad animi lancem exigenti ante oculos obuerfatur,
dictum: Daniel. XII, 3. vbi angelus domini coelestia & ines-
fabilia praemia, illis, qui multis viam salutis monstrarunt
tribuenda refert. Liceat mihi hoc dictum paulo uberius
enucleare, meamque, quam de illo animo imbibi sententi-
am, TIBI diiudicandam tradere. Verba in Fonte ita sonant:
והמשכילים יוחררו כוהר הרקיע ומצריקי הרבים בכוכבים
וער quae ita LXX. καὶ οἱ συνίεντες λαμβύσσω ὡς ἡ λαμπρὴ
πρῶτος

πρόφης ἡ εὐφροσύνη; καὶ ἀπὸ τῶν δικαίων τῶν πολλῶν ὡς οἱ
 ἀσέβεις εἰς τὴν αἰῶνα καὶ εἶ. In explicandis his verbis eruditi
 commentatores in diversas abeunt sententias, quas tamen
 omnes hic adducere ab officii mei ratione plane abhorret. Videatur
 tamen MATTH. POLVS (a). Nonnullos tantum in medium
 producam: Quidam existimant in his verbis vnicum esse subie-
 ctum scilicet *doctores*, &: *qui iustificam multos*, vnum idemque etiam
 praedicatum; *fulgebunt sicut splendor expansi*, &: *sicut stellae in secula
 saeculorum*. Vid. CHRIST. BENEDICT. MICHAELIS (b). Alii se-
 cundum membrum a priori plane diversum esse, & per המשכילים
 simpliciter doctos, per מצדיקי vero eos qui non tantum docti sunt,
 sed & alios erudiunt, intelligendos esse existimant. Alii; המשכילים
 generaliter quosuis doctores alios erudientes מצדיקי vero illos spe-
 cialiter doctores qui intelligentia doctrinae fidei & iustitiae alios
 imbuunt, esse, contendunt; imitor linguam immortalis gloriae
 Theologi B. D. IO. MVSAEI (c) qui & plures adfert sententias.
 B. BECHMANNVS (d) praedicata quidem non confundit, sed
 splendorem firmamenti atque splendorem stellarum inter se differ-
 re probe monet, etiam diuersa subiecta hic esse asserit, sed in hoc
 a sententia mea alienus est, quod משכילים de doctis seu intelli-
 gentibus neutraliter & intransitiue accipit, pro doctis siue informa-
 tis in pietate & vera religione. Antequam vero meam expromam
 sententiam hoc praemonendum esse statuo: Dari utique beatitudi-
 nis aeternae gradus non quoad dona essentialia, quae consistunt
 in visione DEI beatifica; haec enim omnibus beatis continget, I.
 Cor. XIII, 12. I. Io. III, 2, sed quoad dona accidentalia, sc. corpo-
 rum claritatem atque splendorem, cuius ramen inaequalitatis causa non
 in meritis humanis, sed in liberrima divinae benignitatis dispensatione & gra-
 tuita promissione quaerenda est Matth. XX, 13. 15. vti optime monet B.
 KOENIGIVS (e). Evidentissimis argumentis hanc de gradibus
 vitae

(2

- (a) Synopsi Criticorum ad Daniel. XII, 3.
 (b) Vberiorum Annotationum in Hagiographa, Vol. III. in Daniel. ad 438.
 439.
 (c) Schola Prophetica Continuata in Dan, ad h. l. p. 438. 439.
 (d) Theolog. Polemica Loc. VII. Controv. I. §. 6. sqq. p. 408. 409
 (e) Theolog. Positiua Loc. de Beatitudine Part. I. §. 318. p. 66

vitae aeternae thesin contra Pontificios ac Caluino-Reformatos Theologi B. DANHAWERVS (f). BECHMANNVS (g). BVDDEVS (h) alii probarunt. In argumentorum illorum serie etiam illud, ex Daniel. XII, 3. desumptum deprehenditur, quem quoque locum hanc thesin suffulcire iamjam vterius inuestigandum erit. Prius membrum est: *Docti fulgebunt instar splendoris expansi*. Per משכילים hic non intelligo quosuis iustos, sicuti Iudaei, quorum sententiam ex libro: Midrasch tehilim GALATINVS (i) adfert tum משכילים tum הצדיקים ad iustos referentes, quorum vestigiis insistit EVCHERIVS (k). Licet enim ipse Christus Matth. XXIII, 43. id quod angelus hic de doctoribus iis, qui alios ad iustitiam erudiunt, pronunciat, ingenere ad omnes pios accommodat (l) non tamen exinde colligi pote est etiam apud Danielem omnes iustos intelligi debere. Nec illorum sententiae calculum addo, qui משכילים de simpliciter doctis explicant, quorum in censum referendae sunt versiones nonnullae vt LXX. viralis per: *συνετες*, Vulgata per: *docti* & , quas Biblia Pentapla ob oculos nobis ponunt, Catholica germ. per: *Gelehrten*, iudaea germanica per: *fluge* vocem hanc exponentes. Est enim *דשכיל* Hiphil, & significat transitivae: *docere aliquem, intelligentem redere* &c. Hinc existimo per illam vocem non illos, qui tantum pro se intelligentia in rebus diuinis imbuti sunt, sed illos qui etiam vel verbis vel

- (f) Disp. de Quaest.: An in vita aeterna futuri sint gloriae gradus, quae ex-
tat in Fasciculo Disp. Sacror. num. XXVI.
(g) loco citato p. 406. seqq.
(h) Institut Theol. Dogm. L. II. Cap. III. §. XI. p. m. 623.
(i) Arcan. Catholicae Veritatis Lib. XII. Cap. VI. p. m. 603
(k) Libro formularum spirit: intelligentiae Cap. II. annexo Flacii Clavii
Script. Part. I. p. m. 315
(l) Hic locus non patrociniatur opinioni Calvinianorum, gradus vitae aeternae etiam in accidentalibus negantibus. Opponunt quidem nobis in hoc dicto gloriam hanc communiter singulis beatis a redemptore tribui: *Iusti fulgebunt sicuti sol in regno Patris*. At enim vero Christus hic loquitur de gloria beatorum absolute spectata, in loco vero Danielis agitur de gloria beatorum comparative spectata, quid hi termini sibi velint vide apud BECHMANNVM, Theol. Polem. Loc. VII. Controy. I. p. 409

vel scriptis (m) aliorum doctores existunt, intelligendos esse De his pronunciat angelus DEI: יוֹדִירוּ כֹּהֵר הַרְק יֵע Vocabulum רְקִיעַ proprie significat expansum, רַק enim habet notam amovendi s. didu-
 Elionis & expansionis, quae fit in attenuandis laminis, & similibus aliis, idque in radicibus hinc descenditibus רַקֵּי רְקִיעַ perpetuum manet, quae sunt verba felicissimi illius linguae Ebraeae restauratoris CASP. NEV-
 MANNI. (n) Hinc rectius per: *expansum*, quam per: *firmamentum* רָקִיעַ: reddendum esse, existimat DRVSIVS. (o) Sic & Reforma-
 mata versio habet: Der Glanz der Ausdehnung & Batavae: Der Glanz der Uytspanself. Lutherus: Des Himmels Glanz. In-
 telligitur vero hic coelum non sidereum sed aereum. Haud quidem fugit me inter alios etiam Virum de vniuersa Ecclesia
 Lutherana immortaliter meritum AVGVST. PFEIFFER-
 RVM (p) contrariae sententiae patronum esse, & existimare: רְקִיעַ in sacris litteris nunquam aërem, sed semper coelum
 aereum denotare, puto (sicuti שַׁעֲרֵי יְרוּשָׁלַיִם ipso Pfeiffero concedente li-
 cet non semper, interdum tamen aërem significat) Loca a Pfeiffe-
 ro adducta rem, me quidem iudice, non euincunt, nec proban-
 da probant. Psalmi enim XIX versus 2 eodem jure de coelo aereo
 quo sidereo explicari potest. Certe Chaldaeus Paraphrastes ibi aereo
 vocabulo vsus est (q) Locum Pf. CL. v. 1. etiam intelligo de coelo
 aereo, & per illos, qui in illo רְקִיעַ DEum laudibus euehere debent

X 3

avet

(m) In quaestionem: Quis majorem gloriam promereatur, isne qui lin-
 guâ saluti animarum procurandae studet, an ille, qui calamo eidem
 rei dat operam curiose inquirat *Didac*: NISSENVS. Sermon. Aureor
 Tom. II. p. 360

(n) In סֵפֶר הַדְּבָרִים h. e. Genesi L. Sanctae C. III. §. 14. cuius meditatio-
 nes grammaticae *Cel. Io. Iac. SCHVDTIO* in L. de genio & indole Lin-
 guae sanctae Cap. I. §. 10. p. 32. Clar. HEVMANNO in *Consp. Reipubl.*
Litter: Cap. V. §. VI. p. 123. aliisque curiosae potius quam solidae au-
 diunt. Ast. Celeb. Polyhistor. Val. ERN. LOESCHERVS in Polyhisto-
 re illo hebraeo (vti abs Heumannio vocatur loco citato) Libro sc de Caus-
 sis L. E. p. 139. rectius iudicat: Feliciores nos fecit Vir. Cel. Casp. Neu-
 mannus, quem posteris, si quid ingrata haec aetas recusaverit, amplissi-
 mis laudibus prosequantur.

(o) Ad. Loca difficil. Pentateuchi Cap. I. p. 12.

(p) Dubiis Vexat: Loco II. sc. Gen. 1, 7.

(q) teste DRVSIO loco cit. p. 13.

aues coeli cantu suo creatorem celebrantes, Davidem innuere, arbitror. Sic enim aues in aere volitantes aues coelorum dicuntur Gen. I. 26. 28. Quod attinet ad hunc nostrum locum Danielis, illum eam ob causam existimo agere de coelo aereo, quoniam רקיע expresse a stellis distinguitur. Cetera loca lubens sicco socco praetereo. Quod si igitur illud *expansum* sit coelum aereum, זהר sive *splendor* ipsius non potest esse luna, sol &c. quae in coelo sidereo sunt, sed aliquid pellucidi, quod in coelo aereo datur. Civili vero aerei splendor in eo consistit, quod pellucidum admodum sit; Hinc etiam Jobi XXXVII, 18. *expansum* illud cum speculo fuso comparat cum ראי עיץ quod R. LEVI reddidit: *vitrum*, ob pelluciditatem. Vid. JO. JAC. SCHEVCHZERVS (r) Helvetiae insigne ornamentum, Medicus ob biblica quoque scripta celebratissimus, qui ita ad hunc locum scribit: Es betrachtet Job insonderheit die Himmel. Luft, wie sie sich öffnet, oder weit und breit ausdehnet, nach einem schönen Wetter; den heller blauen Himmel, dessen Farb nicht mit dem gemeinen Volck zu suchen in den Sternen-Himmel, sondern einig und allein in optischer Verdichtung der Luft. Cum hoc aëris splendore comparatur splendor doctorum, de illis quoque dicitur יזהירו a radice inusitata זהר in Hiphil: הוהיר quod plerumque in diuinis litteris *admonuit, commonefecit*, denotat, in illo uero quo hoc utitur, significato nusquam alibi occurrit. Satis jam de primo membro, splendore scilicet doctorum. Membrum secundum est: *Qui iustificant multos* (fulgebunt) *instar stellarum in secula seculorum.* מצריקי hic itidem transitue sumitur, ut sint: *iustificantes*, sicut & Versio Bataua habet: *Den der Beele rechtseerdigen.* Aliis placet explicatio per: *instruere ad iustitiam.* Ast nulla subest causa, cur non h. l. haec vox in formali suo, nempe forensi, significato adhiberi debeat. Quamquam enim talis iustificatio solius DEI opus est, qui per verbum suum iustificat; possunt tamen verbi diuini praecones dici & dicuntur *iustificare*, quia *verbum DEI tractant, & hominibus proponunt, per quod medium Deus Homines iustificet*, ut loquitur B. SALOM. GLASSIVS. (s) Hucusque מצריקי atque משכילי prorsus eandem significatio-

(r) in Jobi Physica sacra p. 319.

(s) Grammat. Sacr. p. m. 294. Vid tamen etiam MATTH. FLACIVS in Clavi scripturae S. Part. I, Voc. Justificare p. m. 502.

tionem habent; siquidem per utramque vocem doctores alios insti-
 tuentes saluberrimisque praeceptis complentes indigitantur. Ast
 jam satis patefcet differentia, & quidem ex addito: **הררי** quod
 vocabulum non absque graui causa a Spiritu Sancto additum esse,
 iudico. Emphasis scilicet huc redit: priores erant simpliciter omnes
 doctores viam verae iustitiae coram Deo consequendae, hominibus
 ostendentes; hi vero sunt illi qui multis lympidum Israelis; fontem
 aperiunt, atque multos ad iustitiam, quae coram DEO valet, instru-
 unt. Alios quippe Ecclesiae doctores paucos, alios vero multos,
 prout nempe cuiusque conditio fert, ad veram iustitiam Christi per-
 ducere a nemine sana mente praedito in dubium vocari potest.
 Hinc & horum gloriam gloriam illorum longe maiorem fore angelus
 Domini affirmat. Notatu digna sunt verba Celeb. Theologi HEIN-
 RICHI REINESII: (t) *Omnibus una salus sanctis, sed gloria dispar ita qui
 v. g. hac in vita plus ad aedificationem Ecclesiae Christi contulerunt, vel etiam
 maiores pro Christi doctrina & gloria tribulationes, uti Martyres, sustine-
 runt, reportabunt quoque maiores gloriae gradus.* Confirmatur hoc atque
 corroboratur in dicto nostro vbi illis qui multos iustificarunt, major
 gloria adsignatur illis qui non ita multis viam veram ad iustitiam
 perveniendi monstrarunt, illorum enim gloria erit sicut splendor ex-
 pansi, illorum autem, sicut splendor stellarum. Nomen: ככב stella su-
 mitur vel late, vel stricte. In strictiori significatione hoc nomen
 gerunt corpora illa coelestia, quae alias sub nomine stellarum fixa-
 rum veniunt & a planetis distincta sunt. In latiori vero signifi-
 catu etiam stellae errantes siue planetae sub hoc nomine compre-
 henduntur. Heic loci latior significatus obtinet, & sol, luna, stel-
 laeque fixae intelliguntur. De horum coelestium corporum splen-
 dore non est, quod disputemus. De sole quippe constat, illum
 esse igneam substantiam, quae proprio lumine gaudet, cuius
 claritas omnium stellarum claritatis miris parasangis antefe-
 renda est, de cuius praestantia Cel. D. WALCHIVS (u) vi-
 deri meretur. Luna licet lumen non proprium sed a sole dun-
 taxat mutuatum possidet, nihilo tamen fecius tam egregia
 condecorata est claritate, ut sponsa Christi lunae compare-
 tur

(t) in Extensione Theologiae technicae Loc. XXIX thes. V. p. 280
 (u) in Lexico Philosophico-Voc. Same.


tur pulchritudine Cantic. VI, 9. Stellae fixae proprie lumine fulgentes (x) lucidis itidem radiis coruscant (y) & creatoris, maximi omnium rerum opificis potentiam testantur, quod Cel. Dn. VAL. ERNEST. LOESCHERVS (z) probandum suscepit, & acute pro more suo, confecit. Ex hisce jam luce meridiana clarius elucescit, sicuti claritas stellarum splendori expansi palmam non dubiam tantum reddit, sed prorsus eripit, ita & gloriam illorum, qui multos iustificarunt, multis partibus eorum gloriae anteferendam esse, qui non tantam multitudinem Christo sponso adduxerunt.


Pleniorem huius dicti exegetin susius hic sistere his angustiis nimis ampla foret materia; hinc in his paucis breuitatis causa acquiesco & ad TE me conuerto, *Vir summe Reverende*, & de gravissimo a Patribus Patriae conscriptis TIBI mandato officio, meditullitus atque ex animo gratulor. Nihil magis animo atque votis completor, quam quod DEUS ter O. M. gratia sua semper TIBI adsit; omnigenae felicitatis copia ac affluentia TE cumulet; vt ad extremam usque senectutem tam iis, quorum animarum cura TIBI a DEO commissa est, quam Musarum sacris initiatae iuuenum studiosorum coronae, exquisitas atque praeclaras animarum doctrinarumque epulas apparare, sicque multos iustificare possis. Sic TIBI non deerit gloria, quam nulla vnquam delebit vetustas, nulla inobscurabit oblivio Manebit TIBI gloria coelestis, illis qui multos ad iustitiam perducunt, promissa, splendor scilicet stellarum instar in secula seculorum. Vale, *Vir summe reverende*, benevolentiaque Tua, Tuoque favore me complecti perge.


(x) conf. Magnifici D. D. FRANC. ALB. AEPINI, Patroni atque Praeceptoris mei ad cineres vsque colendi Philos. Part. III, Sect. I, Cap. II, § XV, p. 72. add. Cel. WALCHIVS in Lexico Philosophico Voc. Sterne.


(y) Inter alias rationes cur angeli cum Stellis comparantur & hoc est, quod splendore eximio condecorati sint. VALESIVS de sacra Philosophia Cap. XXXI, p. 171. Stellas adversus Sisseram pugnantes de angelis explicat; sic & locum Jobi XXXVIII, 4. personatus ille Theophilus Alethaeus, seu vero nomine, MVLLERVS in der gründlich Erörterung der dunkelsten Schrift. Stellen Tom. III, p. 467. de Angelis explicans, addit: gleichwie die Sterne wegen ihres schönen Lichtes und Glanzes etwas sehr angenehmes in unsern Augen sind, so haben mich allemahl die Engeln bey der Erscheinung theils eine schöne junge Gestalt, oder einen vorthefftigen Glanz der feurigen Strahl von sich blicken lassen.

(z) in dem merkwürdigen Werken Gottes im Reiche der Natur p. 139 sqq.









tur pulchritudine Cantic. VI, 9. Stellae fixae proprie lumine fulgentes (x) lucidis itidem radiis coruscant (y) & creatoris, maximi omnium rerum opificis potentiam testantur, quod Cel. Dn. VAL. ERNEST. LOESCHERVS (z) probandum suscepit, & acute promore suo, confecit. Ex hisce jam luce meridiana clarius elucescit, sicuti claritas stellarum splendori expansi palmam non dubiam tantum reddit, sed prorsus eripit, ita & gloriam illorum, qui multos iustificarunt, multis partibus eorum gloriae anteferendam esse, qui non tantam multitudinem Christo sponso adduxerunt.

Pleniorem huius dicti exegetin fusius hic sistere his angustiis nimis ampla foret materia; hinc in his paucis breuitatis causa acquiesco & ad TE me conuerto, *Vir summe Reverende*, & de gravissimo a Patribus Patriae conscriptis TIBI mandato officio, meditullitus atque ex animo gratulor. Nihil magis animo atque votis completor, quam quod DEUS ter O. M. gratia sua semper TIBI adfit; omnigenae felicitatis copia ac affluentia TE cumulet; vt ad extremam vsque senectutem tam iis, quorum animarum cura TIBI a DEO commissa est, quam Musarum sacris initiatae iuuenum studiosorum coronae, exquisitas atque praeclaras animarum doctrinarum que epulas apparare, sicque multos iustificare possis. Sic TIBI non deerit gloria, quam nulla vnquam delebit vetustas, nulla inobscurabit oblivio Manebit TIBI gloria coelestis, illis qui multos ad iustitiam perducunt, promissa, splendor scilicet stellarum instar in secula seculorum. Vale, *Vir summe reverende*, benevolentiaque *Tua*, *Tuoque* fauore me complecti perge.

- (x) conf. Magnifici D. D. FRANC. ALB. AEPINI, Patroni atque Praeceptoris mei ad cineres vsque colendi Philos. Part. III, Sect. I, Cap. II, § XV, p. 72. add. Cel. WALCHIVS in Lexico Philosophico Voc. Sterne.
- (y) Inter alias rationes cur angeli cum Stellis comparantur & hoc est, quod splendore eximio condecorati sint. VALESIVS de sacra Philosophia Cap. XXXI, p. 171. Stellas adversus Sisseram pugnantes de angelis explicat; sic & locum Jobi XXXVIII, 4. personatus ille Theophilus Alethaeus, seu vero nomine, MVLLERVS in der gründlich Erörterung der dunkelsten Schrift, Stellen Tom. III, p. 467. de Angelis explicans, addit: gleichwie die Sterne wegen ihrer schönen Lichtes und Glanzes etwas sehr angenehmes in unsern Augen sind, so haben mich allemahl die Engel bey der Erscheinung theils eine schöne junge Gestalt, oder einen Vortrefflichen Glanz der feurigen Strahl von sich blicken lassen.
- (z) in dem merkwürdigen Werken Gottes im Reiche der Natur p. 139 sqq.

☉ (0) ☽